DE CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE IV. MENS. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAROLUS FAVRE
NEOCOMENSI-HELVETUS.

OPPONENTIBUS:
J. BORREL, MED. ET CHIR. DR.
F. GALLOT, MED. ET CHIR. CAND.
C. NEUBOURG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NATORFFIANIS.

VIRO

ILLUSTRI, AMPLISSIMO, GENEROSISSIMO

AUG. CAR. FRANC. DE **PERROT,**

UTRIUSQUE JURIS DOCTORI, A CONSILIIS REIPUBLICAE, CONSILII PUBLICI CIVITATIS NEOBURGENSIS PRAESIDI, ORDINIS DE AQUILA RUBRA ET LEGIONIS HONORARIAE EQUITI ETC. ETC.

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

SUMMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

INDEX

LIBRORUM, QUOS IN CONSCRIBENDO OPUSCULO CONSULUI.

Aug. Gottl. Richter: die specielle Therapie. Berlin 1817. Bd. III.

Joh. Pet. Frank: de curandis hom. morb. epitome. Viennae 1821. Libr. VI.

C. G. Carus: Lehrbuch der Gynaekologie. Leipzig 1828. Theil I.

Encyclopädisches Wörterbuch der medizinischen Wissenschaften; herausgegeben von den Professoren der medizinischen Fakultät zu Berlin. Berlin 1831. Bd. VII.

Encyclopädie der medicinischen Wissenschaft nach dem Dictionaire de médecine, frei bearbeitet von Fr. Ludw. Meissner. Leipzig 1830. Bd. III.

Encyclopädie der gesammten medizinischen und chirurgischen Praxis, bearbeitet und herausgegeben von G. Fr. Most. Leipzig 1834. Bd. II.

C. W. Hufeland: Enchiridion medicum. Berlin 1836.

Fr. Aug. Benj. Puchelt: System der Medizin im Umrisse dargestellt: Heidelberg 1831. 2ter Theil Bd. III.

K. H. Baumgärtner: Handbuch der speciellen Krankheits- und Heilungslehre. Stuttgart und Leipzig 1835. 2 Bd.

W. A. Haase: Ueber die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1820. 1 Bd.

De variis morbi nominibus.

Chlorosin appellavi morbum, de quo dissertationem conscripsi inauguralem, non quod aptissimum illud nomen habeam, sed quod omnium est usitatissimum itaque facillime ab omnibus intelligitur. Si nomen maxime idoneum, id quod in describendo morbo quocunque omittendum non est, eligere velimus, nostrum morbum cachexiam chloroticam aptissime vocari censeo, quippe quam denominationem et aetiologia et curatio vindicare videantur. Alii medicorum, praecipue veterioris aevi, morbi nomen nimis ambigue ab uno alterove symptomate desumserunt eoque modo rem magis confuderunt. Denominatio „morbus pallidus“ haud dubie inepta est, multi enim alii morbi pallore cutis insigniuntur, ut constitutio leucophlegmatica, anaemia; neque minus ii, qui variis ex morbis, v. c. febribus intermittentibus pertinacioribus, convalescunt, pallorem prae se ferunt. Partim propter ingentem pallorem, partim eapropter, quod in sexu tantum sequiori, nominatim in pubescentibus virginibus occurrere putabatur, pallor virgineus, morbus virgineus, foedus virginum color, cachexia virginea, cachexia pubertatis, appellabatur. Quam parum idonea haec sint nomina, nemo non intelligit, etiamsi ab eo discedat, quod sexus quoque virilis interdum huic morbo submittitur, et quod idem non modo inter pubertatem, sed et ante et post eam observatur. Aliis febris alba dicitur, quanquam fateri oportet, affectionem febrilem tantum ad majorem ejus gradum, vel

corporis constitutionem admodum irritabilem, accedere. Quod ad epitheton „alba“ attinet, desumtum a cutis pallore continuo, qui ne febrili quidem vigori cedit, nullius est momenti, sive febris diagnosin, sive curationem respicias. Haud magis nomen „febris amatoria“ nobis arridet; febris enim nonnisi accidens est, amatoria autem innuit, seminia hujus morbi in nimia Veneris cupiditate ponenda esse, quam nonnullis tantum in casibus locum habere, inter omnes constat. Male „icterus albus“ dicitur, quia nomen substantivum et adjectivum, etymologiam quod attinet, e diametro sibi opposita sunt; icterica enim symptomata non semper animadvertuntur, quanquam hepar saepe affectum est.

Si quis igitur quaerat, quid sit chlorosis, hanc definitionem constitui posse existimo, qua morbus noster, reputatis criteriis propriis, a similibus affectionibus discernatur morbique singularis dignitas ei concilietur. Chlorosis illa vegetationis, nimirum digestionis, assimilationis et sanguificationis, alienatio est, cujus externa eaque primaria criteria haec apparent: insolitus cutis pallor, manifestissimus in facie, vultus languidus, omnis vigoris expers, animus tristis, solitudinis amans, magna musculorum imbecillitas, corporis temperies diminuta, pulsus parvus, debilis, debito saepe frequentior, menstruatio, si chlorosis sexum sequiorem adgreditur, alienata.

Symptomatologia.

Ad symptomata evidentissima, chloroticis propria, cutis pallor singularis, quasi specificus, in facie praesertim perspicuus, pertinet, quo aegrotantes primo obtuitu cognoscuntur. Variae autem hujus coloris modificationes exstant: cutis enim vel mere pallida est, cretae aut hominis mortui colorem imitans, vel sordido-lurida, omni

carens splendore, vel flavescens, vel denique, si majorem gradum morbus obtinet, livida aut viridescens. Tunicae quoque mucosae, quatenus externe conspiciuntur, pallore notantur, labia, gingivae, lingua, naturali rubore privatae, aut pallent, aut coerulescunt, neque minus tunica oculorum conjunctiva et carunculae lacrymales insolito pallore inficiuntur. Palpebrae ut plurimum colorem sordido-subfuscum ostendunt et post somnum aliquantum tumescunt, praesertim inferiores, nonnunquam sacculorum instar dependent; oculi, annulis fusco-coeruleis cincti, plerumque subsidunt, languidi et somnolenti apparent, totaque facies, non raro inflata et pastosa, morosi aliquid et adiaphori exprimit. Cutis laxa est atque sicca, temperies ejus diminuta, transpiratio vel parca vel suppressa, unde prodeunt habitus pastosus et leucophlegmaticus, oedemata, praecipue pedum, hydrops anasarca et, si chlorosis ad gradum majorem evehitur, hydrops ascites et hydrothorax.

Musculi tenues sunt, laxi, molles, robur eorum exiguum, aegrotantes celerius, imo levioribus laboribus, fatigantur et magnam ostendunt inertiam, quam gressus quoque tardus ac difficilis testatur; languoris ingentis causa quietem appetunt et plerumque somno multum indulgent. Virium inopia et extremum omnium corporis exercitationum fastidium, sedendi, cubandi, dormiendi cupiditas, tam aetati, quam pristinae alacritati aegrotantium e diametro repugnant; perpetuo gravitatem et languorem artuum, nominatim inferiorum et regionis sacrae, conqueruntur, maxime exhaustos atque caducos sese sentiunt, imo increscente morbo lipothymiis, spasticis affectionibus etc. corripiuntur. Silentio autem praetereundum non est, musculorum imbecillitatem non eam esse, quin motus illorum nonnulli, ad quos voluntate aut cupidine aliqua aegrotantes compelluntur, v. c. Sal-

tatio, citra languorem ferantur, imo vero incitamentum salutare cum musculis debilitatis communicent.

Pulsus esse solet parvus, debilis, tardus, non raro autem, inprimis si morbus intensior fit, aut aegroti constitutione irritabili, nervosa utuntur, satis frequens (ictus centum et triginta intra horae minutum), semper tamen facile comprimendus, generatim mobilis atque mutabilis. Vasorum systema haud raro magnam exhibet irritabilitatem, quod partim animi affectus indicant, quibus facies antea pallida rubore laeto, sed fugace, notatur, partim corporis contentiones, imprimis locorum acclivorum et scalarum adcensus, quo spirandi difficultates, asthma, apnoea etc. inducuntur. Nonnunquam procedente morbo vel paulatim, vel praegressis causis excitantibus, motus oriuntur febriles, qui pulsu irritato, frequente, interdum duriusculo, cordis palpitationibus, magno sanguinis orgasmo et exacerbationibus vespertinis insigniuntur.

Quod ad digestionis opus attinet, variae ejus aliarumque functionum abdominalium perturbationes animadvertuntur: dysorexia, anorexia, interdum substantiarum insolitarum vel non esculentarum, ut cretae, carbonis, calcis, terrae etc. appetentia (Pica et malacia); lingua obducta, sapor pituitosus, nausea, vomituritiones, regionis epigastricae oppressio, acidum primarum viarum, cardialgia, venter inflatus, durus, tensus, flatulentia, alvi excretiones irregulares, maxime obstipatio, quam raro diarrhoea excipit, quandoque affectiones verminosae, status pituitosus, haemorrhoides, venae portarum infarctus etc., urina utplurimum pallida et aquosa, nonnunquam turbida invenitur.

Systematis sexualis functiones quoque turbantur: fluxus menstruus, ceu productum actionis formativae organismi muliebris, vel plane deficit, vel rarus est, parcus, dolorificus, brevis vel incertis rediens intervallis;

aut humor effusus lividus est, pallidus, serosus, saepe fluor albus continuus vel periodicus apparet; Veneris cupiditas vel ex toto deficit, vel praeter modum exaltata est.

Si psychicarum functionum rationem habemus, eandem inertiam invenimus, qua corporis actiones conspicuae sunt: animi temperies morosa est, melancholica; porro solitudinis amor, taciturnitas, suspiria, lacrymatio saepe invita, interdum magna ad iracundiam propensio. Exaltata Veneris cupiditate, aegrotantes meditationibus libidinosis indulgent, fabulas Milesias aliosque libros argumenti erotici avidissime legunt, quibus fit, ut phantasia incestis imaginibus obruatur, Veneris ardor magis magisque incendatur et, quum solitudinis amor coitum arceat, onaniae desiderium excitetur.

Aetiologia.

Si peculiaria, quibus morbus dignoscitur, symptomata, nec non curationem, quae per experientiam aptissima comprobatur, consideramus, indolem, sive proximam causam chloroseos collocare licebit in vitioso chylificationis, sanguificationis et nutritionis processu, quo fit, ut debita portio materiae fibrinae et cruoris in sanguine minuatur, seri autem copia modum superet. Quae cacochymia plerumque circa pubertatis periodum apparet et semper fere, si puellas adgreditur, mensium anomaliis, vel primariis vel secundariis, complicatur.

Causae remotae chloroseos, ut omnium morborum, in disponentes et occasionales dispescuntur; notandum tamen est, ad illustrandam morbi pathogeniam non semper illa causarum distinctione et coordinatione opus esse, sed saepenumero et disponentes et occasionales solas sufficere. Non solum enim ratio, sed experientia quoque docet, momenta quae dicuntur disponentia si

per longius tempus exstiterint majoremque vigorem obtinuerint, citra alias injurias, quae causarum occasionalium nomine vulgo impertiuntur, morbum evocare posse. Altera parte diffitendum non est, causarum occasionalium interdum tantam esse intensitatem atque extensitatem, ut dispositio praevia ad morbum perfecte evolvendum vix et ne vix quidem requiratur.

Plerisque tamen in casibus causae, quae sequuntur, disponentes agnoscendae sunt: 1) Sexus sequior; 2) ea vitae periodus, quae pubertatem complectitur; 3) Corporis constitutio laxa, atonica, leucophlegmatica, vel tenera, infirma, sensilis; 4) educatio perversa, qua et physica hominis salus negligitur, et psychicae functiones, nominatim imaginatio, nimis exaltantur; 5) temperamentum phlegmaticum; 6) corporis incrementum rapidius, quod virium reproductionis modum excedit; 7) convalescentia ex morbis febrilibus diuturnis, reproductionem ita exhaurientibus, ut promta debitaque virium instauratio prohibeatur. Febres porro intermittentes diuturnae, aut brevioribus intervallis saepius reversae, inprimis quartanae; aut morbi hujus generis praemature suppressi, vel imperfecte resoluti, quos viscerum abdominalium affectiones, vel dynamicae vel organicae, secutae sunt, ut hepatis aut lienis physconiae, infarctus venae portarum, tumores atque indurationes glandularum mesaraicarum, humorum circuitus in venis vasisque lymphaticis segnis etc. Ob causam ultimo loco positam, qua sanguificatio et nutritio a norma alienatur, diathesis scrophulosa huc referenda est. Haud raro etiam haemorrhagiae copiosae saepiusve repetitae, menstruatio nimia etc. ad hanc causarum disponentium classem pertinere videntur. 8) Somnus nimius nimiaque vigilia.

Causis occasionalibus interponendum est, quidquid systema irritabile debilitat et sanguificationem vel minuit, vel indolis respectu alienat. Proinde causarum occasionalium gravissimae sunt: diaeta ac regimen perversum; abusus alimentorum vegetabilium, defectus animalium; cibi dyspepti; tuberum solani tuberosi, panis cibarii non bene tosti, potuum tepidorum relaxantium, ut infusi coffeae atque theae, abusus, commoratio in aëre insalubri, itaque nimia hominum, quanquam sanorum, congregratio; domicilia angusta, humida, subterranea, animi pathemata deprimentia eaque diuturna, praematurae virium contentiones; altera parte exercitationis defectus vitaque sedentaria, cui oppidani per opificium saepe submittuntur; vestitus corporis incongruus et refrigeria inde exorta. Abstinentia a Venere diuturnior potiore jure causis occasionalibus adnumerari videtur, quam Venus nimia. Onaniam quoque chlorosis causam occasionalem posse praebere, dubitandum non est; eadem pueris pubescentibus nonnunquam morbum chlorosi analogum infert, qui quidem sine illa causa etiam exoritur et a Brandis cachexia pubertatis apte dicitur. Singulari denique attentione catamenia digna sunt, scilicet vel defectus eorum (amenorrhoea,) vel difficilis evolutio (dysmenorrhoea,) vel suppressio (menostasia,) vel denique, quod rarissimum est, profluvium nimis copiosum (polymenorrhoea.) Multi medicorum menstruationis anomalias, nominatim amenorrhoeam atque dysmenorrhoeam, ad excitandam chlorosin maximi momenti esse contendunt, alii pro causa essentiali quidem chloroseos illas anomalias non habent, sed commercium inter eas nostrumque morbum intercedere judicant; utrum dictae catameniorum anomaliae, chloroseos causam principem, an ejus sequelam sistant, haud dirimunt. Quod ad me pertinet, pauca quidem.

sed attente ac diligenter examinata chloroseos exempla, quae ducibus praeceptoribus meritissimis observavi, mihi persuadent, mensium anomalias nostro in morbo obvias, pro sequela magis, quam pro causa ejus habendas esse, quam sententiam quoque non pauci medicorum profitentur: 1) Omnes auctores experientiae testimoniis probant, chlorosin quoque sexui potiori aetate juniori interdum supervenire. 2) Quibusdam in casibus chlorosis, etsi non exquisita, multo prius, quam pubertatis tempore, v. c. aetate infantili, orditur, quanquam largiendum est, morbum hisce in exemplis demum sub pubertatem consummari, eamque vel plane deficere, vel admodum retardari, id quod sententiam meam vix et ne vix quidem infringit, quum illud fieri debere, facile intelligas, si universa organismi reproductio jam antea eum in modum labefacta et vitiata sit, ut et vis et materies deficiant ad exsequendos labores, quos organorum sexualium evolutio physica et dynamica requirit. 3) Chlorosis interdum fluentibus catameniis apparet, quanquam negandum non est, profluvium hisce in casibus plerumque mox desinere, aut parcum esse; scimus etiam sanguinem, justo esse pallidiorem et aquosiorem, aut periodica muci secretione suppleri. Menstruatio enim est productum universae actionis formativae organismi muliebris, quae ad uterum et ovaria congeritur. In chlorosi autem vita alacrior organorum nutritioni universae providentium aut deficit, aut parum sufficit; omnes partes laxitate, atonia, adynamia magis minusve laborant, sanguinis et reliquorum humorum confectio manca est, quibus omnibus .uteri functio menstrua vel inhibetur, vel, si locum jam habuit, iterum reprimitur. 4) Quodsi mensium rationem in aliis contemplamur morbis, quorum fontem etiam reproductio graviter affecta constituit, v. c. in diathesi scrophulosa,

vel cachexia quacunque, universum organismum tenente, in morbis phthisicis, scorbuticis, hecticis, in quibus plerumque catamenia vel retinentur, aut, si fluxerunt, supprimuntur, aliave ratione sub No. 3 dicta, a norma recedunt, ex analogia, quae inter hos morbos et chlorosin, quod ad menstruationis anomalias attinet, intercedit, haud pauca desumi possunt argumenta, quae, chlorosin magis causam, quam sequelam amenorrhoeae aut dysmenorrhoeae concomitantis esse, probant. Huc accedit, quod illis in morbis pariter ac in chlorosi, menstruorum fluxus demum instante vel jam perfecta sanatione ad normam adducitur. 5) Juvantibus quoque et nocentibus, nimirum curatione, quam infra exponam, prout multis experientiae testimoniis probatur, sententiae meae supra allatae veritas in luce ponitur. Curatio enim chloroseos id potissimum agit, ut ea vitae conditio et interna et externa inducatur, qua processus reproductivi vigor per omnes gradus accendatur atque firmetur. Omnia medicamenta, quae utilia sese praestant, ad consequendum huncce finem conspirant, et diaeta et vitae genus, quae chloroticis imperantur, quidnam aliud agunt, quam ut digestionis et assimilationis labem auferant et nutritionis processum ad debitam integritatem evehant! Quis tandem pellentibus remediis chloroticas puellas curabit? nonne autem his ipsis medicamentis opus esset, si menstruationis anomaliae chlorosis causam sisterent? Tunc demum, cum partim pharmaceutica partim diaetetica curatione reproductio ad meliorem conditionem reducta, si corpus satis instauratum ejusque vires ita refectae sunt, ut variis functionibus bene providere possint, curatio interdum iis remediis absolvatur necesse est, quae catameniorum profluvium evocent. Minime vero semper huic

indicationi satisfaciendum est. etenim res ipsa, id est morbus, ita fert, ut mensium anomaliae sustineantur illoque sublato hae quoque commode auferantur. Proinde hic commune illud valet: sublata causa tollitur effectus. — Ex casibus etiam rarioribus, in quibus praematura, ergo praecox menstruatio, abnormi partium genitalium irritatione producta, inprimis si constitutio tenera et nervosa est, locum habet et cum chlorosi vel apparet vel haec illam mox sequitur, novum desumimus argumentum, quod, amenorrhoeam et dysmenorrhoeam minime necessario chlorosin efficere, testatur. Iidem casus altera ex parte nostram confirmant opinionem, quum suspicari debeamus, si rebus singularibus, adhuc incognitis, tam uterus quam universum systema sexuale praematura imbuantur evolutione, perturbationes omnium fere systematum, inde exortas, in reliquum organismum, debitis contentionibus imparem, efficaciam inimicissimam exserere, ita quidem, ut partim nimio ad uterum sanguinis impetu, partim relative majoribus virium impensis topicaque earum in organis sexualibus concentratione, reproductionis opus labefactetur et chlorosis necessario subsequatur. Denique ea exempla opinionis meae veritatem contestantur, in quibus prima catameniorum eruptio magnis difficultatibus premitur, imo plures demum post annos perficitur, etsi remedia gravissima in usum sint vocata. Quae molestiae si pubescentiam comitentur, et physicam et psychicam puellarum valetudinem multifariam turbari constat; singulatim morborum systematis nervosi catervam ingentem accedere novimus, ut choréam St. Viti, cardialgiam, hysteriam, epilepsiam, catalepsin, mentis alienationes, varias digestionis organorum affectiones, apepsiam, dyspepsiam, plures morbos, qui turbatae sanguinis circulationi imputandi sunt, ut congestiones sanguinis ad

caput et pectus, fluorem album, hydropes etc. Non raro hoc ex fonte morbi acuti systematis vasorum et nervorum, aut unius alteriusve visceris profluunt, qui perinde ac chronici ante dicti vitam in discrimen vocant, aut brevi extinguunt. Chlorosis tamen, quae, si catameniorum anomaliis gignitur, hisce in casibus fomitem habet uberrimum, in iisdem non exoritur, unde ratiocinium deducamus oportet, illas anomalias modo accidentale momentum, non essentiale, ad constituendum morbum nostrum exhibere. Sin vero organismus mulieber, inprimis quod ad repoductionem attinet, jam antea est debilitatus, et sic constitutus pubertatis periodum ingreditur, facile accidere solet, ut chlorosis exquisita nascatur. Uteri vita, ut secundum naturae consilia evolvatur, totum corpus in consensum vocat, per omnia systemata diffunditur, quae saepe nihil aut parum actiones ejus adjuvant. Quibus contentionibus imperfectis partim vita reproductiva magis magisque deprimitur, partim molimina tantum menstrua gignuntur, ipsum autem profluvium vel parcum vel irregulare apparet. Quod ad morbos locales organicosque partium sexualium muliebrium attinet, v. c. atresiam oris uteri, aut vaginae, induciam hymene impervio, concretione, induratione, tumore, ut brevibus dicam, degeneratione uteri, ovariorum, vaginae, momentum illorum aetiologicum, quod plerique medicorum iis adscribunt, non tanti faciendum esse existimo, quanti solet aestimari; nam, quod ego judico, chloroseos momentum maxime necessarium in reproductione gravius turbata cernitur. Quid censeam de anomaliis actionum sexualibus organis propriarum, quatenus, si non semper, in plurimis certe casibus chlorosin comitantur, plus semel jam exposui. Haud dubie enim momenta accidentalia sunt, satis tamen

gravia, ut chlorosis iisdem foveatur, consummetur et ex parte sustineatur. Quodsi causae occasionales in morbis partium sexualium organicis cernuntur, momentum aetiologicum earum tanto gravius est, quanto difficilius artis auxiliis debellantur.

Prognosis.

In universum prognosin faustam augurari licet, quum et diaetetica et pharmaceutica adminicula suppetant, quibus plerumque reproductio graviter labefacta instauratur et eatenus ad normam reducitur, ut morbus chloroticus exstinguatur et variarum functionum anomaliae, quae ex vitiata reproductione profluunt, auferantur. Quodsi medicorum auxilium sat mature expetitur, haud raro malum hocce chronicum, pedetentim plerumque irreptans, nec certa stadia, neque certam habens moram, intra aliquot menses radicitus evertitur. Chlorosis simplex saepenumero sola naturae vi medicatrice feliciter expugnatur, dummodo diaeta idonea vitaeque genere apto haec adjuvetur. Alia vero iis in casibus praedicenda sunt, in quibus vel morbus maxime protractus, vel ejus curatio neglecta est; nec non in iis, quibus chlorosis ex causis expugnatu difficilibus prodiit, vel istae causae accesserunt, ut viscerum abdominalium vitia organica supra memorata; denique si vitae conditiones externae sic dictae, quae morbi originem fovebant ejusque decursum ex parte saltem sustinent, ita constitutae sunt, ut, quanquam aegrotantes plurimum dent operae, mutari atque corrigi nequeant.

In his omnibus et, qui iis similes sunt, casibus prognosin dubiam sive ambiguam augurari oportet, quae eo propius ad malam, imo quandoque ad pessimam accedit, quo magis de vitio aliquo organico, vel primario vel secundario, nobis persuasum est, aut quo magis tale

vitium, debilitatis per magnam diuturnitatem viribus, alias adversae valetudinis formas induxit, quae morbum admodum complicatum reddunt. Facile enim his in casibus major debilitatis chronicae gradus, passiones hystericae diversissimi generis, affectiones spasticae, morbi hydropici, inprimis pedum oedemata, imo hydropes exquisiti, ut anasarca, ascites, hydrothorax, exoriuntur, aut aegrotantes in febrem nervosam vel hecticam incidunt, quae, corpore summa macilentia tandem consumto, mortem infert.

Quum pluribus in casibus non modo sanabilis sit, sed revera serius ocius aut per naturam aut per medicamenta sanetur, visa reperta, de quibus in medicorum scriptis agitur, ad ea tantum exempla referenda sunt, quae gravioribus complicationibus insigniebantur. Inventae enim sunt aquae collectiones sub cute, in cavo thoracis et abdominis, in pericardio; morbi cordis vasorumque majorum, ut dilatationes, ossificationes arteriarum cordis coronariarum, valvularum in cordis ostiis positarum, vasorum sanguiferorum majorum, degenerationes organorum digestioni et assimilationi inservientium, ut hepatis, lienis, glandularum mesaraicarum; vitia fabricae, tumores et indurationes uteri, ovariorum; quandoque ovaria non tam degenerata, quam debito minus evoluta, denique atresiae oris uteri et vaginae deprehendebantur.

Curatio.

Duo potissimum sunt momenta, quae in omnibus fere morbis gravioribus medicorum conamina irrita reddunt miserisque aegrotantibus sanationis recuperandae spem vel maxime circumcidunt, vel plane auferunt. Primum nimirum illud est, quod momenta causalia multis in casibus nostrum praeterfugiunt intellectum, alterum

autem, quod eadem momenta, si investigata beneque perspecta sint, saepe expugnari nequeunt, — Alia chloroseos est ratio: etiamsi enim accuratissima momentorum pathogeneticorum notitia nos latet, causae tamen remotae principes bene notae sunt, imo eaedem non modo queunt extingui, sed plurimis quoque in exemplis, dummodo medela pharmaceutica et diaeta idonea praecipiantur, earundem productum, nimirum reproductionis gravem offensionem et cachexiam inde coortam, quae chlorosis indolem constituit, auferre licet. Principem igitur curationis partem indicatio causalis exhibet, cui ut satis faciat, medicus eo impensius studere oportet, quod, si huic satisfecerit, indicationem nosematicam ex parte absolvit, aut viam, qua absolvi possit, sibi munit, quin adeo nonnullis in casibus tantum proficit, ut reliquis natura ipsa satisfaciat. —

Primum igitur vitae ratio et diaeta aegrotantium, in quibus plurimae causae remotae cernuntur, ita instituantur, ut sanguificationi atque nutritioni subveniatur. Vitae ratio. Domicilium aegrotäntium salubre sit, siccum, ab aëris accessu non prohibitum; quotidianus aëris puri usus eo magis necessarius est, si res familiaris impedit, quominus aegrotantes domiciliis aptis et salubribus utantur. Praeterea corpus quotidie parvis itineribus pedestribus negotiisque domesticis, vires haud superantibus, exerceatur; generatim vita sedentaria, quae processibus vitalibus organorum abdominalium et sexualium quam maximas infert injurias, aequabilemque sanguinis distributionem impedit, vel ex toto vitetur, vel maxime restringatur. Nonnulli corporis motus, qui graviores quidem, sed oblectamento aegrotis sunt, ut saltatio, minime iis interdicantur, quippe qui non modo calamitatum levamen afferre soleant, verum etiam praesidiumexhibeant medico, quo, si omnia alia destituantur

effectu, uti possit. Plurimum attentionis psychicae laborantium conditioni impendatur: animus exhilaretur consortiis et consuetudine hominum, quorum familiaritate et colloquiis delectantur, ut solitudinis amor profligetur et non solum incommoda, quae ex animi intemperie in reproductionem redundant, tollantur, sed etiam contraria conditio inducatur. Auxilium maxime idoneum, quod partim mentem exhilarat, partim aëris puri usum corporisque motum concedit, itinera sunt vel breviora vel longinquiora, inprimis ad regiones aegrotis nondum cognitas. quae amoenitate et venustate excellunt. Quandoque domicilii mutatio, per mensium aliquot spatium elongata, inprimis vicissitudo vitae urbanae et agrestis, saluberrimam vim in valetudinem exserit.

Haud raro accidit, ut educatio, nominatim puellarum, perversa instituatur et hoc ex fonte causa ad excitandam chlorosin gravissima profluat. Proinde medici est, educationis modum explorare et, quantum consilio et praeceptis possit, auxilium praestare. Saepissime educatio eo peccat, quod facultatum psychicarum evolutio et incrementum praemature foventur, corpori autem ea, quibus ad integritatem ejus tuendam opus est, subducuntur, unde disproportio inter vitam psychicam atque physicam oriatur necesse est. Vita sedentaria cubicularis, itaque defectus aëris puri exercitationum sub dio cum illa educatione necessario conjunguntur raroque effectu inimicissimo in vegetativas corporis functiones destituuntur. Huc accedit, quod, si praepropere animus evolvitur, fere nunquam omnes functiones aequabiliter excoluntur; mens enim pariter atque corpus non satis pascitur, dum imaginatio rapida capit incrementa, novaque semper pabula desiderat, quae inprimis lectio fabularum Milesiarum, libidinosam et obscoenam materiem saepe tractantium, offert.

Quodsi igitur mater, omnis paedagogices vel ignara vel contemtrix, vel praejudicatis opinionibus capta, filiarum ingenium praemature excolere et ad vitam socialem, quam dicunt, eas adaptare studet, qua fit, ut cum viris juvenibus consuetudinem et familiaritatem crebro utantur: nulla conditionum abest, quae, ut cum valetudinis damno Veneris cupida excitetur atque foveatur, efficiunt. Irritationes partium sexualium spontaneae oriuntur, quae corpus ad huc infirmum violenter afficiunt et quibus mens pariter imbecilla imperare nequit. Manstuprationes, priusquam mediteris aut metuas, exercentur et plerumque deleterios effectus in organismi valetudinem jam diu exseruerunt, si opportunitas datur medico, flagitium illud cognoscendi, medicamentis adhibitis ei occurrendi damnaque oeconomiae animali illata reparandi.

Priusquam ad describendam diaetam, quae omnium aptissima sit, propius accedam, mentionem facere liceat curae, quam medicus aegrotantium cuti impendat necesse est. Cutis, quod revera est, organon habeatur gravissimum, materiis tam excipiendis quam excernendis praefectum, commercium efficiens organismum inter et naturam externam, nominatim cum respirationis atque digestionis instrumentis intimam alens necessitudinem. Quodsi igitur meditemur, quantopere cutis vita in morbo chlorotico sit prostrata, vix non opus esse fatebimur, ut partim ejus vita refocilletur, partim functio ejusdem a novis perturbationibus defendatur. Huic scopo summa respondet mundities, balneis aquosis tepidis, aliquoties per hebdomadam adhibitis, effecta, nec non vestitus cuique anni tempestati consentaneus, neque debito levior nec gravior. E quibus patet, corpus inprimis ab injuriis tempestatis inconstantis, humidae et frigidae, vestitu paulo calidiore, inprimis pe-

dum et abdominis, esse tuendum, quare braccarum et tibialium laneorum usus commendandus est.

Diaeta. Aegrotantes victu utantur salubri, roborante, magis animali quam vegetabili. Prosunt igitur juscula carnis cum substantiis nutrientibus, eupeptis, ut vitello ovi, sago, salep, hordeo excorticato, oryza et similibus; caro animalium juniorum mollis et succulenta, vel assa vel elixa, cum jusculo leviter aromatico, non nimis acido; panis triticeus aut farreus, bene tostus. Potum aptissimum praebent: aut cerevisia amara levior, bene fermentata, aut vinum generosum vetustius, acidi expers. Altera parte aegrotis strenue imperetur, ut a largiori usu potuum tepidorum relaxantium, olerum flatulentorum male paratorum, ciborum, farinaceorum, pinguium, operis pistorii recentis etc. sibi temperent.

Quae dum geruntur et curatio diaetetica modo exposita continuatur, consideranda venit indicatio nosematica, ex ipso morbo profluens, cui exhibitis pharmaceuticis remediis satisfacere studebimus. Delectus remediorum, quibus primum utendum sit, ex morbi indole habendus est, quae vel erethismum vel torporem ostendit. Plurimum attentionis et providentiae impendendum est curationi, si erethismus viget, cujus symptomata haec sunt: sanguinis orgasmus periodicus, aestus subitaneus, fugax, pulsus admodum mobilis, maxime variabilis, magnae cordis palpitationes, perpetuae sanguinis congestiones ad hanc illamve corporis partem, inprimis ad pulmones, imo interdum motus febriles periodici accedunt cum pulsu pleno, frequente, quin adeo duriusculo. Antiphlogistica vera rarius huic conditioni respondere videntur, nonnunquam tamen, si congestiones sanguinis ad pulmones modum excedunt, ideoque periculum minitantur, sanguinis detractione parca opus

est, eademque, in vena pedis instituta, non raro saluberrimum praestat effectum. Ceterum hisce in casibus tonica frigida ex usu esse solent, nimirum acida mineralia, acidum phosphoricum, mixtura sulphurico-acida, vel potui ordinario, vel mixturis addita; utroque in casu aptum edulcorans adjiciatur, ut syrupus rubi idaei etc. Erethismo maximam partem sedato, acida illa cum aromaticis mitioribus et amaris juncta praebeantur, ut cum tinctura aromatica, cum infuso ligni quassiae, herbae trifolii fibrini, foliorum vel corticum aurantiorum etc.

Sin torpor superat, curationem non tonicis frigidis, ut priori in casu, sed tonicis calefacientibus ordiri oportet, inter quae ferrum principem locum tenet, quippe quod energiam et actionem vitalem organorum tam sanguificationi quam circulationi praefectorum evehat, ergo nutritionem corrigat tonumque amissum corpori reddat. Quibus ferri praeparatis utendum sit, ex varia digestionis organorum conditione metiendum est. Generatim a levioribus ordiendum et ad graviora paulatim procedendum est. Ordo, quo singula martis praeparata adhiberi convenit, hic fere mihi videtur: ammonium muriaticum martiatum, tinctura ferri pomati tinctura ferri acetici aetherea, vinum martiatum, tinctura ferri muriatici, ferrum pulveratum. In locum praeparatorum ferri hic enumeratorum aquae martiatae nativae aut artificiales, quarum infra mentionem faciam, substitui possunt. Cum fero partim conjungi possunt aromatica pura, ut varia cinnamomi praeparata, vanilla aromatica, imo oleum cinnamomi, menthae piperitae etc. porro infusa ex amaro-aromaticis parata, ex rad. calami aromat., ex flavedine corticum aurantior., ex floribus chamomillae, herba absinthii etc. denique amara pura, ut lignum quassiae, herb. trifolii fibrini, flores aurantior., radix gentianae, china, praecipue cum vino martiatio.

Quae enumeravimus additamenta, si ab eo discedas, quod per se efficaciam saluberrimam in digestionis organa exserunt, quoniam ventriculi et intestinorum incitationem tonumque adaugendo secreta eorum ad chymificationem et chylificationem necessaria ad meliorem indolem adducunt, egregia sunt corrigentia ferri, quippe quod, cum iis conjunctum, non modo facilius feratur, verum etiam alvum minus obstruat.

Quotidie semel aut bis faeces pulticulares ejiciantur necesse est, quae, si deficiunt, aptis medicamentis moliendae sunt, quem ad finem rhei et aloes praeparata, vel cum supra dictis remediis juncta, vel iis interposita, optime respondent. Propensio ad diarrhoeam, quae in aegrotantibus tubi intestinalis morbosa irritabilitate conspicuis haud raro observatur, singulatim respiciatur et radice columbo, cortice cascarillae, praeparatis cinnamomi, imo opio, expugnetur oportet. Si torpidis corporibus ventriculi et intestinorum functio alienata est, si vel status pituitosi aut verminosi symptomata evidenter se manifestant, vel acidum liberum in primis viis evolvitur, aut bilis secretio a norma recedit, nonnunquam emetico utendum est, quo adhibito vel absorbentia, vel resolventia et purgantia miliora in usum vocanda sunt. Hujus generis remedia sunt: magnesia carbonica, ammonium muriaticum cum dosibus refractis tartari stibiati, postea ammonium muriaticum martiatum, sapo medicatus, gummata ferulacea, ut asa foetida et gummi ammoniacum, fel tauri recens, prae omnibus autem heum, quippe quod virtutibus tonico-excitantibus antacidis, bilis secretionem motumque peristalticum adaugentibus, plerumque utilissimum sese praestet. Hystericae affectiones ad chlorosin accedentes, remediis nervinis, antispasmodicis, antihystericis, ut galbano, asa foetida, valeriana, castoreo, balneis tepidis salinis

etc. impugnentur. Si, quod interdum corporibus scrophulosa diathesi laborantibus accidit, chlorosis cum organicis partium sexualium aut viscerum abdominalium morbis, sive primariis sive secundariis, complicata est, remedia leniter resolventia et purgantia, cum amaris juncta, in usum vocanda sunt. Huc circumspectus calomelanis cum sulphure stibiato aurantiaco usus, porro saponis medicati, fellis tauri recentis, nec non kali tartarici, extracti graminis et taraxaci similiumque pertinet. Plus utilitatis, ut mihi videtur, quam extracta modo dicta, succi recens expressi herbarum resolventium, per longius tempus adhibiti, pollicentur.

Hydropes aliique morbi secundarii periculosi, quos nonnunquam chlorosi supervenire, supra retuli, juxta therapiae specialis praecepta curandi sunt. Atresiis oris uteri, hymenis, vaginae, apta operatione medeamur necesse est.

Curatio secundaria.

Ut corporis imbecillitas, quae, chlorosi feliciter depulsa, nonnunquam per longius tempus restitat, tollatur, aut valetudo restituta magis confirmetur, morbusque recidivus certius caveatur, aquae medicatae martiales, tam artificiales quam nativae, ut aquae Franciscana, Spaana, Schwalbacensis, Cudowana, Pyrmontana, Driburgensis, egregium praestant usum. Insimul corpus hisce fontibus lavetur, balneave marina aut fluviatilia administrentur, quippe in quibus summum internorum remediorum adminiculum cernatur.

VITA.

Carolus Adolphus Favre, evangelicae confessioni addictus, natus sum Neoburgi, oppido Helvetiae, anno hujus saeculi decimo quarto, patre optimo Carolo, senatore, quem jam dudum defunctum maxime lugeo, matre, Adela e gente Favarger, quam superstitem pio gratoque animo adhuc veneror. Primis litterarum elementis imbutus sum in Gymnasio urbis patriae per annos septem. Hisce scholis relictis, anno MDCCCXXXI Tigurum me contuli, ibique ad doctrinas philosophicas et artem medicam incubui.

Vere ineunte anni MDCCCXXXIII Berolinum profectus sum, ibique a Rectore magnifico Ill. Weiss in numerum civium academicorum re-

ceptus et a Decano spectabili Ill. Osann in album facultatis medicae inscriptus, hasce praelectiones frequentavi: de chemia Ill. Mitscherlich et Cel. Schubarth, de Physice Cel. Dove, de historia naturali et de Botanice Ill. Link et Ill. Kunth, de physiologia Ill. Schultz, de anatomia corporis humani, de anatomia pathologica et de physiologia Ill. Müller, in exercitationibus cadaverum secandorum duces mihi fuerunt Ill. Müller et Ill. Schlemm, de pathologia et therapia generali Beat. Becker, de nosologia et therapia speciali Ill. Hecker et Ill. Horn, nec non de morbis syphiliticis et de morbis mentis; de materia medica Ill. Osann, de arte formulas medicas concinandi Cel. Casper, de arte obstetricia Cel. Kluge. In exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis Ill. Rust, Ill. de Graefe, Ill. Busch, Cel. Kluge, Ill. Juengken, Cel. Truestedt, Cel. Wolff, Cel. Barez, Cel. Ideler mihi duces fuerunt. Quibus viris omnibus

valde de me meritis gratias ago, quas possum maximas, eorumque memoriam, quam pio gratoque animo amplector, nulla unquam oblivio extinguet.

Tentaminibus vero, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso superatis, fore spero, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Fistula ani saepe operationem non admittit.*
2. *Graviditatis incipientis certum signum nullum.*
3. *Febris hectica amputationem non vetat.*
4. *Crustae pleuriticae nec praesentia ad venaesectionem iterandam, nec ejus absentia ad omittendam indicationem statuere potest.*